Sunt denique, qui existiment, Ascraeum Poëtam eadem cum Homero, omnium Poëtarum Coryphaeo, aetate floruisse. Ita enim M. Varro in de Imaginibus libro primo (referente Gellio libro tertio Noctium Atticarum capite secundo) Non est dubium, inquit, quin aliquo tempore eodem vixerint Homerus & Hesiodus, additâ ratione satis praegnante, quam Lilius Gyraldus de Poëtarum Historia Dialogo secundo prolixè exponit, tandemque calculo suo approbare nullus dubitat. Cuinam verò, in tanta tot atque tantorum Scriptorum disceptatione, opinioni est favendum? cuinam sententiae subscribendum? Nescio, mi CHRISTE, & propter ingenii mei tenuitatem conjecturam hic facere nec volo, nec possum, sed vestrae potius censurae, Auditores maximè venerandi, qui hac de re propter eximiam vestram prudentiam, rerumque multarum experientiam longè meliorem sententiam ferre potestis, hoc derelinquo &

Ad mortem Hesiodi ac sepulturae locum indigitandum pergo. Quid verò de morte ejus dicam? Sanè nihil aliud, quàm quod fuerit violenta. Quanquam enim de ejus interitu apud probatos Autores non nulla est dissensio: in hoc tamen ferè omnes conveniunt, ob admissum à socio stuprum fuisse interfectum, postquam longissimo tempore his in terris vixit, adeò quidem, ut etiam in proverbium abierit Hesiodi senecta, de iisque jactatur, qui admodum sunt vivaces. Plutarchus in Convivio septem Sapientum de Hesiodi morte ac sepultura loco in hunc ferè scribit modum: Cum esset Locris Hesiodus in hospitis domo cum homine quodam Milesio, qui filiam hospitis vitiaverat, inque stupro deprehensus fuerat, in suspicionem venit, tanquam ab initio sceleris illius conscius fuisset, & id tamen occultasset: cum omni prorsus culpâ vacaret, nihil ominus tamen in odium & injustam criminationem incidit. Nam puellae vitiatae fratres circa Locrense Nemeum insidias illi struxerant, & illum una cum socio, qui Troilus vocabatur, interfecerunt. Horum corpora cum essent in mare projecta, Troili quidem cadaver in